

## PRAEFATIO.

Codices, quos ad Hecubam recensendam adhibui et ipse contuli, sunt hi:

- A* = codex Marcianus 471 (plut. XCI, 1), in membranis formae quartae maioris saeculo XII scriptus. continet fol. 1—19<sup>r</sup> Dionysii orbis descriptionem cum scholiis, fol. 20<sup>r</sup>—154<sup>v</sup> Euripidis Hecubam, Orestem, Phoenissas, Andromacham, Hippolyti v. 1—1234 cum scholiis et glossis ab eadem manu postea additis. in fine mutilus est. correxerunt complures manus recentiores diverso atramento.
- a* = codex Parisinus 2713, saeculo XII exeunte vel ineunte XIII scriptus in membranis, codici optimo Marciano in Hecuba, Oreste, Phoenissis simillimus. hunc codicem et sequentes descripsi in praefatione Medae. folia prima perierunt, pro quibus alia inserta sunt a manu saec. XV (f. 1—8) et a manu saec. XVI (f. 9—16) scripta. has recentes manus non respexi et lectiones codicis inde a v. 523 annoto, a quo incipit manus antiqua.
- B* = codex Vaticanus 909, bombycinus saeculi XIII. in Hecuba multa folia exciderunt, ut nunc desint versus 212—256 et 712—1069. duobus foliis chartaceis insertis supplevit v. 712—783 manus recens saeculi XV, cuius lectiones, ut par est, neglexi.
- E* = codex Parisinus 2712, membranaceus saec. XIII. codex inde a pag. 3 usque ad pag. 8 mutilus est in angulo superiore parte membranarum abscisa.